



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Locus Jes. 48. 22. explicatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

LIBER SECUNDUS. 381

ginta annos ipsis defuisse, quia non sivit Deus ut indigerent alio vestimento & calceatu quod substituerent vetustate detrito, ostendere potest hic apud Jesaiam locus. Verba Prophetæ sunt, *אלו לא צמאו בחרות הוֹלִים* Et non fuerunt cum ipsos per desertum duceret. Sistiisse Judæos cum in deserto errarent quis nescit? Massa & Meriba & alia loca testimonium sunt evidentissimum. Vel ad ipsas gentes hujus rei memoria dimanavit. Notissima est fabula Judæos asinum coluisse, quam tot prodiderunt scriptores veteres, quorum testimonia collegit vir summus Samuel Bochartus. Hujus vero cultus tam alieni nullam aliam causam adferunt, quam quod asinus monstraverit aquæ fontem. Ita expresse Tacitus. *Nihil æque (Judæos in deserto) quam inopia aquæ fatigabat. Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit. Sequutus Moses conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperit. Et paulo post: Effigiem animalis, quo monstrante,*

Icf. 48.22.

Bochart.
Hier. p. I.
l. 2. c. 18.

Tac. Hist.
lib. 5.

strante, errorem suumque depulerant,
penetrati sacraverunt. Quare sitive-
 rint necesse est in deserto Judæi.
 Et tamen non sitiisse cum ipsos
 duceret per desertum affirmat Pro-
 pheta. Quod profecto non alia
 ratione intelligendum est, quam
 quia Deus abunde suppeditabat,
 unde sitim potuerint explere. Po-
 tuisset Deus, cui nihil *ad ducendum,*
 id præstare ut non sitirent Judæi.
 Hoc vero fecisse nusquam legimus,
 sed ipsis suppeditasse vel ex ipsa
 petra aquæ venas ad sedandam si-
 tim. Quare Prophetæ verba non
 alio sensu possunt intelligi, quam
 quod Deus minime passus sit ut
 ipsis aqua deficeret in siti. Quo-
 modo mox subjungit. *Fluere fecit*
aquam ex petra, cum finderet petram,
aquæ fluebant. Eodem sensu, quo
 Jesaias dixit non sitivisse Judæos
 in deserto, Moisen dixisse arbitror
non attrita fuisse vestimenta, neque
calceos fuisse vetustate consumptos.
 Calcei attriti fuerunt & vetustate
 consumpti, pariter uti Judæi in
 deserto sitiverunt. Attritos non
 fuisse Moyses narrat, pariter uti
 Propheta refert non sitiisse Judæos.
 Potuit

LIBER SECUNDUS. 383

Potuit scilicet atteri vestimentum & calceamentum, sed non deficere vetustate, adeo ut & calceis & vestibus indigerent. Pariter uti sitire potuerunt Judæi, non siti extinguui. Potuit quidem Deus id etiam præstare ut non attererentur & vestes & calcei, uti præstare potuit ut non sitirent Judæi. Sed uti non præstitit ut non sitirent Judæi, sed in siti ipsis suppeditavit aquam, ita non præstitit ut non attererentur & vestes & calcei, utque iisdem vestibus & calceis per annos quadraginta incederent, sed admirabili sua providentia id effecit, ut neque materia vestium deficeret, neque sine calceis cogerentur incedere, cum abunde suppeditaret quæ ad vestes & calceos requirerentur. Non sitiisse Judæos utique crederemus si suspiciam exstaret Deum aquas ipsis præbuisse. Non attrita fuisse vestimenta & calceos Hebræorum per quadraginta annos, sed Deum vim incorruptam & vestibus & calceis adidisse, & cum parvulis & pueris & infantibus crevisse uti cum cochleis conchæ crescunt, etiam

etiam crederemus, nisi aliunde constaret, qua ratione Deus defectum vestium & calceorum expleverit, ut alias vestes & alia calceamenta sibi potuerint comparare, ubi veteres defecissent.

X. Singularis hæc Dei erga populum illum cura & providentia fuit, ut antequam Ægypto discederent Ægyptiorum opibus & vestimentis locupletaret. Præceptum Dei in Exodo legitur, quo iussit, ut jam jam Ægypti finibus egressuri aurea & argentea vasa ab Ægyptiis peterent, & promittit se ipsis gratiam Ægyptiorum conciliaturum, ut nihil denegarent. Id ipsum ab Hebræis factum est qui ab Ægyptiis petierunt argentea & aurea vasa & vestimenta, cum Deus dederet ipsis gratiam in oculis Ægyptiorum, adeo ut spoliarent Ægyptios. Unde constat etiam vestibus, præter illas quas induerant, onustos fuisse Israelitas cum ex Ægypto discederent. Hoc in animo habuisse Aben Ezra videtur, qui Judæos multas vestes multosque calceos ex Ægypto secum tulisse censet. Sane hinc tot habuerunt orna-

Exod. 11.
2. 3.

Exod. 12.
36. 37.